

IV DUBIA QUAEDAM

14

15(—)

16(—)

ALBINOVANUS PEDO

5 Iam pridem post terga diem solemque relictum
 iamque vident, notis extorres finibus orbis
 per non concessas audaces ire tenebras
 ad rerum metas extremaque litora mundi,
 10 nunc illum, pigris immania monstra sub undis
 qui ferat Oceanum, qui saevas undique pristis
 aequoreosque canes ratibus consurgere prensis.
 Accumulat fragor ipse metus. Iam sidere limo
 navigia et rapido desertam flamine classem
 15 seque feris credunt per inertia fata marinis
 iam non felici laniandos sorte relinqui.
 Atque aliquis prora caecum sublimis ab alta
 aera pugnaci luctatus rumpere visu,
 ut nihil erepto valuit dinoscere mundo
 obstructa in talis effundit pectora voces: